von der Linde

Freitagii Adami Vota gametia

Apollinis et Musarum.

VOTA GAMELIA APOLLINIS & MUSARUM dedicata

ANTIQUA GENERIS ET PROPRIA VIRTUTUM AC ERUDITIONIS NOBILITATE VIRO-JUVENI,

DN. CAROLO von der Linde

SPONSO:

&

PUDICISSIMÆ MODESTISSIMÆQ; VIRGINI

ELISABETHÆ,

PRÆSTANTISSIMI HONESTISSIMIQ; VIRI

DN. JOHANNIS DALMERI

CIVIS apud Gedanenses primarii FILIÆ,

SPONSÆ,

Celebrantibus nuptias X. Kal. Maji, Anno dierum Messiæ M, DC, XIX.

à

M. *ADAMO FREITAGIO THORUN.*
Gymn. patrii Collega,

Exscripta Typis
ab
AUGUSTINO FERBERO Seniore.



Invitatus ad has volui me sistere tædas:
Esse & splendoris pars quotacunq; sacri.
Officii sed me retinet jam publica cura,
Cui me sancta DEI dextra præesse jubet.
Quare, cum præsens non possim fundere vota;
Proq; novis Sponsis sollicitare DEUM:
Absens hoc faciam. VOS MUSÆ & APOLLO beatum
Conjugium huic casto conciliate Pari.
Ast vos Conviva, qua vena poetica promet,
Excipite hæc placido pectore, fronte hilari.





APOLLO.

INDANUM genus eſt ex proavis potens,
Res geſtas numeret quis generis boni?
Quod Virtutis habet ſigna ab avis data,
Excelſos animos ſignificantia.
DALMERO tribuit ſed bona plurima
Fortuna: aut potiùs, qui bona cuncta dat,
Humani generis mirificus ſator,
Mundum qui regit hunc pro libitu, DEUS.
LINDANUM genus hic ampliet: & ſimul
DALMEROS jubeat creſcere perpetim,
Ceu Laurus virides aſsiduè comas
Arbor ſacra mihi ſervat amabiles.

CLIO.

Qui dixit primâ magni ſub origine Mundi:
CRESCITE: qui longâ natos nataſq; ſubinde
Porrexit ſerie primævis patribus olim:
Qui varias anni remeantis temperat horas,
Atq; hyeme exacta renovat per corpora vires,
Quæ terrâ ſugunt alto ſub Sole vigorem:
Qui Verbo Mundum fecit: qui verſat & aſtra
Nutu: Vos jubeat traducere molliter ævum:
DALMERIS ut Tiliæ gelidâ caneſcat in umbrâ.

MELPOMENE.

Vitibus grata eſt velut Ulmus alta,
Brachiis cœlo nitido propinqua:
Huic maritatæ pariunt racemi
pondera dulcis.
Sic & Uxori placidus Maritus
Gratus eſt caſtæ: parit hæc & illi
Fœdere ad Legem ſociata ſanctam
Pignora lecti.

THALEIA.

Nil est floridius magis,
Quàm si corda duo castus amor liget.
Namq; hoc sic voluit DEUS
Humano generi Legifer optimus:
Naturæ inseruit faces
Ardoris liciti prima ab origine:
Metas constituit sacrâ
Concessæ pariter voce libidinis:
Inter quas ut amet suam
Omnis Vir sociam sanciit: & crucis
Adjecit rigidæ minas
Dulcoris nimii temperiem bonam.

EUTERPE.

Convivæ curas dispellite splendido Lyæo,
In poculis qui lucet instar ignis:
Atq; animos hilares reddit, simul erigit jacentes
Calore suavi, disjicitq; cunctos
Angores: læti hunc assumite: Temperanter autem
Haurite: morbos nam parit nocentes
Immoderatè haustus: Medica hinc manus ære turget amplo,
Quando dolores pharmacis retundit.
Ergo animis læti consurgite fausta comprecantes
Sponsis novellis, prosperasq; noctes:
Ut postquam Lunæ novies reparata lux nitebit
Jucunda proles, spes domus perennet,
Et vultu ac animo vigili referat parentem utrumq;
Virtutum amatos per choros oberrans.

TERPSICHORE.

Decretum fuerat magni olim Lege Solonis;
In thalamos abitura mariti

Ut degustaret Sponsa antè Cydonia mala,
Quæ suavi sunt prædita odore;
Ut labris residens accepti gratia odoris
Cum Sponso religaret amore
Sponsam: quæ charum fuit amplexura maritum.
In thalamos abitura jugales.
Vim constipandi sunt nacta Cydonia malâ;
Creduntur stomacho addere robur.
Sic & amica fides duo pectora nectit amore,
Robur & addit amabile vinclum
Ædibus atq; Orbi: quia pignora læta propagat,
Humanam speciemq; perennem
Efficit. ô niteat thalamus novus iste frequenter
Et pulchrâ prole & generosâ.
Dicite iò cuncti: voto DEUS annuat isti.
Exaudit qui vota piorum.

ERATO.

Reges potentes, Persia quos tulit,
Conviviorum quando aderat dies,
Suas penes se collocabant
Conjugio socias ligatas.
At quando lusus jam temerarii,
Illiberales, Ebrietas fera &
Vigere cœpit, tunc pudicæ
Protinus inde abière Matres:
Ne fortè lusu tam temerario
Offenderentur. Turpia facta nam
Mentes tenellas & pudicas
Excruciare queunt repente.
Reges potentes, Persia quos tulit,
Et vos decebit nunc etiam sequi,
Qui nuptiis his interestis:
Sit procul hinc opus indecorum.

Nam læta mens nil curat inutilem
Repletionem, vel stolidos modos,
Quos Barbarorum est usq; tetris
Gestibus & levibus referre.
Sponsis novellis quin potiùs bona
Mecum libenter Fata precamini;
Feliciter ut copulati
Prosperitate fruantur omni.
Nil Musa Vobis, jure licet queam,
Præscribo. Nam sum sana Erato, meum
Amore nomen est repletum:
Consilium do sed hoc honestum.

CALLIOPE.

Bis senos Modulos Musica consonos
Ex septem numero fontibus eruit:
Hos præter reliqui sunt duo inutiles:
Aures nam violant sono
Distorto: ut reliqui suaviter omnibus
Inter se numeris conveniunt. probè
Hanc rem percipiunt, qui numeros sciunt
Aptè jungere Musicos.
Quid Natura docet? quando duos Modos
Tantùm fonte suo promit inutiles?
At sex è reliquis fontibus utiles?
Istud, quod modò proferam.
Quòd CONCORDIA sit semper amabilis,
Et vitæ generi cuilibet utilis,
In quo quemq; decet vivere musicè,
Concinnè, benè, comiter.
Est CONCORDIA Rebus bona publicis
Res, est hæc eadem commoda maximè
Privatis: thalamos hæc eadem facit
Omni tempore floridos.

At DISCORDIA res noxia; perdidit
Amplas, & celebres nomine publicas
Res: privatæ etiam beſtiâ ab hac cadunt:
Et ſancti thalami ruunt.
Concordes igitur vivite, quos dies
Hæc ſacro religat fœdere, proſperi
Vivetis: mihi vos credite Sponſuli;
Quos lux hæc religat, novi.

URANIE.

E Terrâ in cœlum Sponſos ſubducere conor;
Ut ſigna ſpectent lucida,
Officium nobis pulchrâ ſub imagine pingunt
Hæc utriuſq; Conjugis.
Sol docet, egregii quis debeat eſſe mariti
In comparem favor ſuam.
Luna bonæ Uxoris ſua commoda monſtrat: iniquæ
Uxoris atq; incommoda.
Sol lumen Lunæ communicat: aurea Phœbe
Hoc abſq; non niteſceret.
Uxorem foveat ſic & pia cura Mariti.
Suæ eſt Vir Uxoris caput.
Cum Solem ſequitur, tum lumine creſcit amœno
Arbitra Noctis candida:
Quando præcedit flammantia lumina Solis,
Decreſcit illa lumine.
Sic, quæcunq; marem obſervat fidiſſima conjux,
Honore creſcet proprio.
Uxor ſed ſpernit quæcunq; ſuperba maritum,
Honore debito excidet.
SPONSI ergo Solis Lunæ & creſcentis amicas
Explete vivendo vices.
Hoc Natura cupit depicta in Lumine utroq;,
In Cynthio, inq; Cynthiâ.

Sit

Sit CAROLUS fidæ Caput & Defensor ELISÆ:
ELISA CAROLO pareat.

POLTHTMNIA.

Paribus nos Iovis ô pignora chara
Animis jam pia Sponsis rata vota
Tribuamus: decet hoc nos: DEus audit pia vota.
ELISABBETH CAROLO sit pia conjux:
CAROLUS sit pius idem, sibi junctæ:
Amor idem, cor idem sit, DEUS idem, thalamusq;.
Eris absit procul, ædes favor almus
Beet, ô nobile par, te DEUS usq;
Tegat, ornet: benè vivas, valeas & benè vivens.

Additamentum Ænigmaticum.

Graja quidem vox sum: sed me Gens sacra putavit:
Igne etiam careo: non sine flamma ineo.
Suadeo, me tacitum ne largiùs accipe: flammis
Namq; cades, dum te fax mea plena teret.






Biblioteka Jagiellońska
stdr0006221